

49129. Disputatio Theologica //

Inauguralis,

LEGIS MORALIS, EVANGELII,

Et utriusque Discriminis, Brevem

Διάσκεψιν exhibens,

Quam

Ἐν τῷ Θεληματι τοῦ Θεοῦ,

Consentiente Veneranda Theologica Facultate, in Celeberrimo Musarum Parnaviensium

Emporio,

Pro consequendo Gradu in Theologia summo,

Examinandam,

Publicè in Auditorio superiori, horis in Regiis Constitutionibus prescriptis D. i. Sept. A. M. DC. XCIX. proponit

OLAUS MOBERG,

S. Theol. ibidem Prof. prim.

Responsurus stabit

ANDREAS ERICHSON Revaliensis,

S. R. M. tis Alumnus

PERNAVIÆ,

Excudit JOHANNES BRENDKEN,
Acad. Typographus.

i31931108

A5064.3

DEO

&

Parnaviensium Musarum
Delubro nuper inaugurato,
hæc Lucubratio

Sacra
Esto.

VOTUM.

DEus huic Academiae ita ex altis
benedicat, ut sit ^{mihi} fons & scatu-
rigo uberrima Gloriam nominis divi-
ni: Sapientiam rerum coelestium &
Theologicarum salvificam: justitiam &
juris: donorum sanationis: multi for-
mum ad usum humanum pertinen-
tium artium liberalium, itemque o-
mnium omnino virtutum, quae Deo
& Optimatibus quibusvis semper
placent, hominibusque in omnibus
vitae generibus adjumento & orna-
mento esse possunt ac debent: Ec-
cle-

clesiam denique universam in veritate conservet, & ab absurdis ac noxiis hominibus clementer liberet: Per Christum Jesum, habentem linguam eruditorum, Episcopum animarum nostrarum: Cui cum Patre & Spiritu Sancto, uni vero DEO sit laus, Gloria, & adoratio seculis infinitis, Amen!!!

Inter



בְּיָהוּא עֵשׂוּר עֵשׂוּר עֵשׂוּר
Es. 26. v. 4.

Inter alia requisita, Benevole Lector, Boni Scripturae Sacrae interpretis, praecipuum etiam est hoc, ut sciat recte distingvere, & secare sermonem veritatis. Nam cum Apostolus Timotheum, & cum eo, quemvis sanctis scriptis interpretandis praefectum, *ὁρθοτοκεῖν τὸν λόγον ἀληθείας* monet, aperte indicat capita doctrinae coelestis non confundenda, sed distincte docenda esse. Fugienda igitur, ceu pestis, articulo-
rum

2. Tim.
II. 15.

A.

rum

rum sacrorum confusio, utpote multorum errorum genetrix. Qualis est Eutychna, in Christo, duarum Naturarum confusio. Qualis etiam est confusio, cum Sacramentarii Sacramenta Veteris & Novi Testamenti (significativa & exhibitiva) commiscent; Et ex Loco de Sacramentis Testamenti Veteris docere volunt, quid de Sacramentis Novi Testamenti sit sentiendum. Ejusmodi est confusio Anabaptistarum, cum ea, quæ Christus de privata vindicta fugienda docuit, ipsi etiam de Magistratu, ejusque officio interpretantur. Qualis itidem est, in Papatu, confusio Legis & Evangelii, quæ Evangelium in Legem transformatur, adeoque ipsamet Christianismi acropolis, justificationis præcipuè doctrina, justa sua sede deturbatur.

tur. Et cum Pontificii negare non possint justificationem esse præcipuum Evangelii beneficium, posito autem in Justificationis actum ingressu operum, Evangelium propriè sic dictum doctrinam operum esse statuunt, contenduntque Evangelio contineri illa omnia, quæ nos rectè soli tribuimus Legi, quæ sunt præcipuè tria, Leges propriè dictæ, comminationes & Promissiones cum conditione obedientiæ: Id inter alia probat Pontificiæ religionis Propugnator Bellarminus ex eo, quod Scriptura, quibus verbis docet requiri conditionem fidei ad Salutem, iisdem vel clarioribus, doceat requiri conditionem Legis implendæ. Posse in meritis Spem aliquam poni, Scribit Bellarminus, probari potest hac ratione, quoniam sicut misericordia Dei, ita etiam bona merita sunt vera salutis causa: Licet enim confidere in omni vera causa, quæ ad finem optatum

Lib. 1. de Justif. c. 17. §. 1.

Lib. 5. de Justif. c. 7. Propos. 2.

tum & speratum consequendum cognoscatur idonea. Et certè perniciosæ hallucinationes, omnibus temporibus, in articulo justificationis inde acciderunt, quod non rectè constitutum fuerit, ex veris fundamentis, quæ sit Propria Evangelii doctrina, in qua fides quærere debeat justitiam coram DEO. Constituendum igitur est ex perspicuis & firmis scripturæ testimoniis; quæ sit propria Evangelii doctrina, quæ à Lege sejungenda est, & in qua quærenda est reconciliatio cum DEO, remissio Peccatorum, & salus æterna. Clarioris Lucis gratia Opusculum hoc in tria dispescimus Capita, quorum

- I.
Legis Moralis,
- II.
Evangelii,

III.

III.

Discriminis utriusque,
 Διείσνεψιν ὡς ἐν συνόψει, & velut in Tabula,
 nobis sistet.

Adesto interim, ô Sanctum Numen!
 Nostramque mentem, manum, linguamque ita dirige, ut genuinum verbi Tui Sacri Legalis & Evangelici sensum, in Sancti Tui Nominis gloriam, & Salutis Nostræ æternæ promotionem, distinctè percipiamus !!!

CAPUT I.

Διείσνεψιν Legis Moralis sistens.

§. I.



Um Sola Ecclesia integram doctrinam Legis habeat, Rom. 7, v. 7. constituenda est talis Legis definitio, quæ sit propria Ecclesiæ, & præcipue ea

complectatur, quæ in doctrina legis, rationi ignota sunt.

§. II.

Definitiones autem Legis Moralis rot ferè extant, quot Theologorum methodici Libri. Inter innumeras verò definitiones Legis Moralis, nobis haud immeritò definitio à communi Germaniæ Præceptore Philippo Melanchtone, in Examine Ordinandorum, tradita, utpote Magnis Theologis Orthodoxis, ante alias, adprime probata, placebit.

§. III.

Lex Moralis est æterna, & immota sapientia, & regula iustitiæ in DEO, discernens recta & non recta, & patefacta est hominibus in creatione, & postea sæpè repetita & declarata voce divina, ut sciamus, quod sit DEUS, & qualis sit, obligans omnes creaturas rationales, & postulans, ut omnes sint conformes DEO, ac damnans & destruens omnes non conformes DEO, nisi fiat remissio & reconciliatio propter Filium Mediatorem.

§. IV.

Lex Moralis sic dicitur ab objecto, quia circa mores hominum informandos variè

variè Occupatur, tanquam perfecta & immota vivendi regula, quæ ostendit, quomodo tum erga DEUM, tum erga proximum nos gerere debeamus.

§. V.

Æterna & immota sapientia & regula iustitiæ in DEO, discernens recta & non recta. Iustitia DEI est, qua iustus est retributor boni & vindex mali. Iustitia DEI dicitur vel de iustitia, quæ in DEO est, vel quæ à DEO, qualis iterum tum Evangelica vel imputata, quæ iustos nos facit, tum legalis & inharens, qua nos renovat & sanctificat. *Eudialter* mentalis, internus conceptus in DEO dicitur, qui scilicet in DEO est & manet, ubi autem nobis manifestatur, verbum *ωεφοειον* salutatur, quod vel potentiæ in rerum sustentatione, Ebr. I. v. 3. Et miraculis Matth. 8. v. 8. vel gratiæ, quod manifestatur, verbi interni Symbolum est, & vel vivâ voce prolatum, vel scriptum, hodie autem ubi cessat vivæ vocis divinx allocutio, in scriptura sacra solum manifestatur.

§. VI.

Sapientia datur in DEO, secundum conceptus videlicet abstractos, immunesque ab

ab imperfectionibus, cum quibus reperitur in nobis. Hæc DEi sapientia revelatur in Lege, Deut. 29. v. 29. Pl. 147. 19. 20. Quæ ideo appellatur iustitiæ divinæ sapientia.

§. VII.

Lex Moralis est æterna & immota sapientia & regula iustitiæ DEi: Ergo non ut ceremoniales, & forenses ad tempus & populum certum ea est accommodanda: neque abrogationi pariter subjacet. Etsi enim ex accidente fit, quod iustificare nequeat, siquidem infirmatur per carnem, ac proinde, hoc respectu, nempe quoad iustificandi *divinæ* Gal. 3. v. 21. rectè dicitur abrogata: Etsi quoque maledictionis & accusationis fulmina vibrare non potest in credentes: Siquidem *hi à maledictione Legis sunt redempti*, Gal. 3. v. 13. *Et iusto non est posita Lex*, I. Tim. I. v. 9, minime tamen omnium ullam admittit abrogationem, quoad informationem vitæ, & quoad debitum obedientiæ, sive observantiæ, quod ab omnibus promiscuè hominibus requirit & exigit.

V. III.

Patefacta est hominibus in creatione: non autem modo patefacta, quemadmodum & præce-

præceptum de arbore vetita Protoparentibus patefactum est, Gen. 2. v. 17. Sed Lex moralis insita est hominibus, haud secus ac Lex naturæ, Rom. 2. v. 14. 15. Quæ à divina non auctore, non notitiarum materia sive objecto: sed partim gradu & perfectione: partim etiam revelationis modo, differt. Quam ob causam ipsa etiam appellatio Legis Naturæ, non sensum obtinet exclusivum, quasi illa non itidem sit de DEO, rebusque divinis: sed sensum duntaxat subalternatum, quatenus non per singularem ac externam DEi revelationem; sed per ipsam Naturam, & Rationem humanam, tanquam per Naturale quoddam Principium, hominibus innotescit.

§. IX.

Et Postea sæpè repetita, & declarata voce divina. Ergo non sub Mose demùm caput, sed inscripta fuit in cordibus hominum, ita ut naturaliter nota esset Patribus ante Mosen, & quidem duobus integris millenariis & ultra, ante promulgationem solemnem in monte Sinaico factam. Nec hoc quidem est primum Principium Legis Moralis, sed lex est æterna, sicut ipse DEUS est æternus.

B

§. X.

§. X.

Postea declarata voce divina, ut sciamus quod sit DEUS, & qualis sit. Nam DEUS clarâ & articulatâ voce Locutus est in Monte Sinai, ut à Populo intelligi possent singula verba, in conferta angelorum turma, immediatè sonos & verba efficiens, omnia verba, sive mandata hæc dicens: *Ego sum Dominus DEUS tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis. Ego sum Jehova, ipsa illa independens Essentia, quæ Omnibus aliis largitur esse.* אלהים, DEUS tuus, distinctus ab omnibus aliarum nationum Diis, per gratiam singularem, quâ Te eduxi è terra Ægypti, tam potenti Brachio è Pistrino, in quo ad durissimam servitutem damnatus eras.

§. XI.

ET hæc legis moralis doctrinâ ab initio mundi, utpote devinitus patefacta, in Ecclesia sonuit, & ad diem usque novissimum sonabit, imò, in omnem æternitatem durabit & permanebit: non quidem ratione legum & præceptorum; Quorum certè in alterâ vita beata nullus prorsus erit usus: sed ratione plenariæ illius & perfectissimæ restorationis, quæ

tum obringet beatis, respectu absolutissimæ dilectionis DEI & Proximi.

§. XII.

Obligat autem hæc æternæ justitiæ divinæ ratio omnes creaturas racionales, omnes omninò homines, imò & ipsos angelos. Præscribit enim regulam conformitatis illius, quæ debet esse inter DEUM archetypum & creaturam racionales ad imaginem DEI conditam. Nam uti naturaliter non potest non illi quis conciliari, abs quo multa bona accepit; Ita si constiterit eundem & benè mihi velle, & rectius, quam ipse valeam, mihi prospicere posse, simulque idem actu mei directionem sibi vindicet, nihil adparet rationis, quare imperium istius derectare velim. Idque eo magis, si etiam id ipsum, quod esse potuerim, eidem in acceptis referam. Act. 17. v. 24.

§. XIII.

Quemadmodum Lex omnes creaturas racionales obligat; Ita ab iisdem Perfectam obedientiam requirit. Variis autem corruptelis, omnibus temporibus, & olim & nunc depravata est doctrina de Perfecta obedientia,

tia, quam lex DEI requirit: Illa depravatio semper secum traxit magnam ruinam in articulo justificationis. In ipsa enim promulgatione Legis dicit Populus Mosi: *Cuncta, quae prolocutus est Dominus faciemus*, Exod. 19. v. 8. Et DEUS, ut illam persuasionem retunderet, Legem tam terribiliter promulgavit, ut territi dicerent: *non loquatur nobis Dominus: Si enim ultra vocem ejus audierimus, moriemur*. Exod. 20. v. 19. Et cum iterum dicerent: *audientes faciemus*. Respondet DEUS: *benè sunt locuti, sed quis det talem eos habere mentem?* Deut. 5. v. 27. 28.

§. XIV.

Pharisæis postea persuasum fuit, obedientiam legis in externa tantum consistere disciplina, quam scriptura vocat *justitiam carnis*. Hebr. 9. v. 10. adeoque impletionem Legis facilem, & possibilem esse. Matth. 19. v. 20. Luc. 10. v. 25. imò, ultra mandata DEI multa supererogasse se jactat quidam Pharisæus. Luc. 18. v. 12.

§. XV.

HÆc autem opinio de possibilitate, & de impletionem Legis inde nata est, quod

quod scilicet Pharisæi finxerint sibi discrimen quoddam inter mandata magna, & minima. Magna mandata, de peccatis crassioribus, homicidii, adulterii, perjurii: minima, quorum transgressionem DEUS non curet, ut interiores affectus aberrantes à Lege DEI.

§. XVI.

CHristus verò graviter eos reprehendens dicit: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & sic docuerit homines, minimus vocabitur in regno cælorum*, Matth. 5. v. 19. Minimus, hoc loco, in regno cælorum dicitur, qui eo excluditur, & maximus, qui illud ingreditur. Eodem ferè loquendi genere, quo Matth. 19. v. 30. Luc. 13. v. 30. Primi dicuntur, qui cælestis beatitudinis reddentur Participes, postremi, seu ultimi, qui eâ excident. Si autem minimus habebitur, qui contempserit, hæc minima, utiq; reverà non sunt minima. Idem enim, qui dixit: non occides: dixit etiam, non concupisces.

§. XVII.

ET enim DEUS legem suam haud rogavit, ut esset flexilis quaedam mutilata obedientia.

edientiae regula: normam esse voluit exactissimam, ad quam omnes & singulae actiones nostrae, conatus, cogitatus, affectus, molimina accuratissimè essent exigenda. Quocirca qui in ullum legis praeceptum impingit, legislatorem Deum offendit, atque totius legis violatae se reum peragit. *Quisquis enim totam legem servaverit, offenderit autem in uno, omnium reus tenetur.* Jac. 2. v. IO.

§. XVIII.

Romanenses Legem divinam ab homine perfectè posse impleri decernunt. Trident. Concil. Sess. VI. Can. XVIII. *Si quis dixerit, DEI praecepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto esse ad conservandum impossibilia, anathema sit.* Imò, hominem plus facere posse, quam Deus praecepit, gloriantur. Vid. Bellerm. Lib. IV. de justificatione Cap. XIII.

§. XIX.

Quia verò negare non possunt, legem concionari de obedientia perfectiori, quam quae in hac vita, ab homine etiam renato praestari possit. Hoc enim Augustinus, in multis locis, ex manifestis scripturae testimoniis

niis ostendit, sumunt igitur illam distinctionem, ex August. de Litera & Spiritu, c. 36. Aliam esse perfectionem hujus vitae, aliam futurae. Et eam postea ita accommodant, legem scilicet, absolutissimam & perfectissimam illam, de qua loquitur, obedientiam non exigere ab hominibus in hac vita: Quia hoc praeceptum pertineat tantum ad futurum seculum. Fingunt ergo legem exigere ab hominibus, non aliam perfectiorem obedientiam, quam quae in hac vita praestari potest: Et ideo quod deest ad absolutam perfectionem, item sordes, quas Paulus suae obedientiae adherere fateretur, non accusari à lege in hac vita. Dicunt igitur homines renatos in hac vita, posse perfectè implere legem, pro statu viatoris, Legemque, observatores suos, quales pro statu viatoris esse possunt, reddere dignos aeterna vita.

§. XX.

Haec autem asseruntur contra expressa scripturae testimonia, quae manifestè affirmant legem Dei requirere perpetuam, & adeò perfectam obedientiam, cujus impletio nobis in hac vita impossibilis est: Joh. 7. v. 19. *Moses dedit vobis legem: Et nemo ex vobis facit*

facit legem. Act. 7. v. 38. 39. *Moses accepit sermonem vivum, ut daret vobis, cui noluerunt obedire Patres nostri. Item v. 53. Accepistis legem per dispositiones angelorum, nec servastis*

§. XXI.

NE quis verò objiciat, judæos quidem legem non servasse: potuissent tamen, si voluissent anniti. Addantur illa testimonia, quæ manifestius loquuntur, Act. 13. v. 38. *ab omnibus, à quibus non potuistis per Legem Mosis Justificari. Act. 15. v. 10. Fugum quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus. Rom. 8. v. 3. Quod impossibile erat legi, eò quod infirmabatur per carnem. Gal. 2. v. 21. Non est data lex, quæ possit vivificare. 2. Cor. 3. v. 7. Ita ut non possent oculos intendere in faciem Mosis, propter gloriam vultus ejus. Rom. 8. v. 7. Legi non subjicitur: neque enim potest.*

§. XXII.

PRæter hæc scripturæ dicta, duæ sunt firmissimæ demonstrationes in scriptis Apostolicis, quæ neminem, in hac vita, Legi Dei perfectè posse satis facere evincunt. Prior demon-

demonstratio: Rom. 7. v. 14. *Lex spiritualis est: at ego carnalis sum, venundatus sub peccato. Legem spirituales vocat Apostolus, non quod doctrina legis spirituales & allegoricum habeat sensum, quemadmodum exponit Origenes: Sed partim, quia auctorem habet Spiritum Sanctum; partim quia spiritualia habet mandata, non quæ ad placitum hominum sunt comparata, sed quæ exquisitam voluntatem Dei exponunt: partim quia non tantum externam requirit disciplinam, sed spiritum hominis, seu totum cor atque mentem: partim quia tanta ejus perfectio non nisi Spiritu Dei intelligitur; partim quia spiritualia bona promittit obedientibus. Se verò licet renatum, carnalem nominat, quia multis infirmitatibus & suggestionibus carnis se fatetur obnoxium. Et à jure peccati se non omninò exemptum esse indicat; sed stimulos peccati se interdum etiam sentire fatetur, qui ipsum à bono abreptum peccato mancipare conantur, licet id in effectum dare non possint. Posterior demonstratio sumitur à missione & victima Filii Dei, Gal. 2. v. 21. *Si per legem est justitia, igitur Christus frustra mortuus est. Rom. 8. v. 3. Quod lex prestare non poterat, ea parte qua imbecillis erat per carnem,**

nem, hoc DEUS proprio Filio misso sub specie carnis peccato obnoxia, prestitit, ac de peccato condemnavit peccatum per carnem. Nam Christus venit, non ut destrueret, sed ut compleret legem. Matth. 5. v. 17.

§. XXIII.

PORRÒ, ex scriptura illa doctrina addenda est, quomodo, & quare perfecta impletio legis nobis in hac vita sit impossibilis. Scilicet non ideo, quasi externam disciplinam non possint aliquo modo præstare homines, etiam non renati: nec ita, quod in justificatis & renatis non debeat inchoari nova obedientia, juxta mandata DEI: Sed ita & ideo lex est impossibilis, quia postulat conformitatem, non tantum in externis actionibus, sed etiam in internis: nec satisfieri sibi dicit qualicumque interiori conatu voluntatum, sed requirit dilectionem, id est, motus ardentissimos, & quidem ex toto corde, tota anima, & omnibus viribus, ut nihil carnale sit, aut sentiatur, in ullis viribus hominum, quod vel alio inclinet, & trahat. Jac. I. v. 14.

§. XXIV.

Nisi fiat remissio & reconciliatio propter Filium

lium Mediatorem. *Αδυνατον τὸ νόον* supplevit filius DEI in carnem missus. Rom. 8. v. 3. Qui Legem plenissimè implevit, Matth. 5. v. 17. Ita ut sit finis & perfectio legis ad justificationem omni credenti, Rom. 10. v. 4. Gal. 3. v. 13. ubi dicitur, quod Christus nos liberarit ab execratione legis, dum factus est pro nobis execratio. Hæc clausula definitionis legis moralis, Phariseos, Pelagianos, Papistas, Socinianos, Schwencfeldianos, & Arminianos adprimè confutat, quippe qui possibilitatem implendi legem, junctis quasi viribus & animis, adstruunt, adeoque in Christi meritum, quod in nobis impletur *δυνατῶσα τὸ νόον*, Rom. 8. v. 4. valdè injurii sunt.

§. XXV.

LEX Moralis in Archetypam & Ectypam rectè dividitur. Archetypa est in ipso DEO, DEI videlicet justitia, sanctitas & sapientia essentialis, qua DEUS sibi ipse lex est, contra quam nullo modo facere potest, quia se ipsum abnegare non potest, 2. Tim. 2. v. 13. Abnegaret autem se ipsum, si contra æternam legem archetypam, i. e. se ipsum faceret, quod contradictorium. Ectypa, quæ ex solo sapiente DEI arbitrio

oritur divinitus, quia non nisi ab ipso Deo contra illam dispensari potest. Ec̄typha vero, quæ simul ex necessitate justæ ac sanctæ naturæ DEI derivatur, indispensabilis est.

§. XXVI.

HÆc autem lex moralis sola est, norma verorum bonorum operum, præscribens facienda & omittenda, in quibuscunque illa extat libris, sive Veteris sive Novi Testamenti. Nam ad utrumque Testamentum Lex pertinet. Ad Vetus Testamentum 1. quoad continuam & rigidiorẽ præceptorum Decalogi inculcationem. 2. Quoad obscuriorẽ eorundem præceptorum traditionem. 3. Quoad alternativam sententiæ denunciationem, vel ad salutem & justificationem, si ex toto servata esset: vel ad damnationem, si violata: Jam ergo eo modo, quo ad Vetus Testamentum pertinet, antiquata est lex moralis, præcipuè quoad justificationem, & damnationem. *Nam ex operibus legis non justificatur omnis caro.* Gal. 2. v. 16. Et Lex nullam habet potestatem condemnandi eos, qui sunt in Christo JESU: Rom. 8. v. 1.

§. XXVII.

§. XXVII.

Vicissim, quia Novum Testamentum non modo remissionem peccatorum, sed & Renovationem complectitur: Siquidem *nova sumus creatura in Christo., conditi ad bona opera,* Ephes. 2. v. 10. Quorum norma in Decalogo perfectissima est proposita: hinc fit ut ratione Novæ obedientiæ Decalogus ad Novum Testamentum pertineat. Præterea cum Decalogus sit immutabilis divinæ justitiæ regula, hominum Naturæ in ipsa creatione insita, certè quemadmodum ipsa Natura hominum manet, & in ea, quæ sunt naturalia omnia. Ita Decalogus etiam, qui & ipse est ex naturalibus, antiquationem nullam patitur.

§. XXVIII.

Lex equidem Pædagogus ad Christum dicitur, Gal. 3. v. 24. sed per indirectum ad Christum nos ducit. Directè ad Christum nos ducit (quantum ad significationem) ut olim etiam in Veteri Testamento quantum ad observationem Lex ceremonialis, quæ continebat *σκιάν τῶν μελλόντων*, id est, umbram rerum futurarum: Indirectè lex moralis, quia tantum indi-

cat morbum, & quærere jubet Medicum, quicumque tandem sit ille.

§. XXIX.

Licet itaque lex ad præsupposita fidei pertineat, cum nec peccatum, nec propitiatio sine lege DEI cognosci possit, definitionem tamen fidei, quâ creditur, non ingreditur. Nam, ex quo non est justificatio, illud fidei justificantis, ut sic, non potest esse proprium objectum. Atqui ex Lege cum operibus suis non est justificatio, Rom. 3. v. 20. Col. 1. v. 22. Gal. 5. v. 10. 12. 13. 21. Ergo.

§. XXX.

Interim Renati & credentes absque lege non sunt. Equidem liberati sunt renati, vicariâ Christi opera à Legis maledictione & coactione. A maledictione, quia *Christus nos redemit à maledicto legis, factus pro nobis natus, maledictum, ut in gentes veniret benedictio Abrahæ, in Christo JESU, & nos promissionem Spiritus acciperemus per fidem*, Gal. 3. v. 13. 14. A coactione, quia Christus est *τέλος τῆς νόμου*, finis legis ad justitiam omni credenti, Rom. 10. v. 4. Nam quod legi erat impossibile, eò quod per carnem infirmaba-

tur,

tur, hoc DEUS præstitit misso filio, ut jus legis in nobis impleretur, (impletione non activa, sed imputativa; lex enim impletur non à nobis, sed in nobis, per imputationem obedientiæ Christi) Rom. 8. v. 3. Unde & Christus Sceptrum Exactoris contrivisse dicitur, Es. 9. v. 4.

§. XXXI.

AB observatione verò legis in tertio illius usu spectatæ per Christum liberati non sunt; sed ad eam, per redemptionem à Christo factam potius obligantur, Tit. 2. v. 12. *apparuit gratia DEI salutaris omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & secularia desideria σοφείας καὶ διδαχῆς καὶ ἐπιτελείας* (quæ tria adverbium utramque complectuntur tabulam, & adæquatum illius objectum connotant) *sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc seculo.* Unde ad eam renatos sic adstringit Apostolus Johannes, ut ne diligere quidem eos DEUM posse sine mandatorum DEI observatione existimet; Et charitatis erga DEUM tantum non formalem rationem in illa collocet: *Hæc est enim charitas, inquit, DEI, ut mandata ejus custodiamus.* 1. Joh. 5. v. 3. Licet enim liberi à lege sint credentes quoad poenæ

Luitio-

Lutionem, & debitum obedientiæ perfectæ, seu talis, per quam justificari ex lege deberent, siquidem per opera justificarentur; nihilominus tamen lex eos obligat *ad justitiam & interni hominis renovationem*, quæ in hac vita inchoatur & promovetur, 2. Cor. 4. v. 16.

§. XXXII.

AC tamen per justitiam illam coram Deo à peccatis non absolvantur, aut iusti constituentur, (constituuntur enim iusti per obedientiam Christi fide apprehensam; Rom. 5. v. 19.) à debitione ejus tamen non sunt exempti; sed justificationem suam illâ demonstrare tenentur, Luc. 17. v. 10. *Quæ debuimus, fecimus. I. Joh. 4. v. 7. Nos debemus mutuo nos diligere. Debites sumus non carni. ut secundum carnem vivamus, sed spiritui. Rom. 8. v. 12. 13. Ex quo rectè dixeris renatos non esse sub lege, & tamen nunquam esse sine Lege: Libertatem à lege adeptos esse; licentiam ab omni observantia legis ipsos absolventem, adeptos non esse. Quos idcirco sic liberos Petrus Apostolus pronunciat, ut inter libertatem veram & fucatam, seu quæ ἐπιούσια τῆς κακίας est, distingvat: ut liberi, inquit, & non quasi velamen habentes malitia libertatem, sed sicut servi DEI, I. Pet. 2. v. 16.*

§. XXXIII.

§. XXXIII.

NE verò quisquam cum Antinomis legem ex Ecclesia Novi Testamenti relegendam esse censeat, addendus est legis usus, qui juxta enumerationem in libris Ecclesiarum nostrarum symbolicis triplex statuitur. Nam lex informat de peccato, ad Christum ducit Padagogicè, & dirigit nos in vita Pædevticè. Hinc est triplex legis usus de quo in Form. Concord. Cap. VI.

§. XXXIV.

Primus autem usus est, quo nos sub disciplina legis in vita Politicè gubernamur. *Lex justo non est posita, sed injustis, & inobedientibus, impiis & Peccatoribus, irreverentibus & Prophanis, Patricidis & matricidis, homicidis, scortatoribus, masculorum concubitoribus, Plagiariis, mendacibus, perjuriis. I. Tim. I. v. 9. 10. Talis namque est post lamentandum Adamiticum lapsum mortalium fors, ut nisi metus Magistratus esset, alter alterum vivum devoraret, inquit Hebræi in פְּרִקֵי אֲבוֹת. Principes autem non terrori sunt bene agentibus, sed malè, Rom.*

D

13. v. 3.

13. v. 3. Quamvis enim externa illa nondum renatorum disciplina, cum non sit ex fide, peccatum sit, Rom. 14. v. 23. ac proinde personam non reddat DEO gratam & acceptam, cum *sine fide impossibile sit DEO placere*, Hebr. II. v. 6. Severe tamen à DEO flagituratur & exigitur, quin & corporalibus premiis remuneratur, ut Politica societas conservetur, & homines de Christo doceri possint.

§. XXXV.

Secundus θεολογικός ἐλεγκτικός, ut peccatum arguat, lex enim vocatur dolabra Hof. 6. v. 5. *Per legem est agnitio Peccati. Rom. 3. v. 20. Lex jam operatur. Rom. 4. v. 15. Lex subintravit, ut abundaret delictum, Rom. 5. v. 20. Peccatum non cognovi, nisi per legem, nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret; non concupisces, Rom. 7. v. 7. lex propter transgressiones posita est, Gal. 3. v. 19.*

§. XXXVI.

Tertius legis usus est θεολογικός διδακτικός, quo renati diriguntur lege, tanquam norma & regula, admonenturque de bonis operi-

operibus, in quibus ambulare debeant, ac DEO placere possint. Quemadmodum enim Equus indomitus freno coercetur & constringitur, domitus verò equus eodem freno dirigitur, ut intra metas recti itineris juxta arbitrium lessoris retineatur; Ita lege DEI intractabiles homines coercentur, regenerati verò eâ diriguntur & retinentur intra metas eorum operum, in quibus juxta DEI voluntatem debent ambulare. *In Præceptis in eis ambulate. Ezech. 20. v. 19. Dabo legem meam in medio eorum, & in corde eorum describam eam: Et ero eis in DEUM, & ipsi erunt mihi in Populum. Jer. 31. v. 33. Num legem destruiinus per fidem? absit, sed legem stabiliimus. Rom. 3. v. 30. Qui proximum diligit legem implevit. Rom. 13. v. 8. Hinc Augustinus totiens repit præceptum de dilectione in futura vita demum perfectè impletum iri, ubi nulla amplius erit concupiscentia refrenanda.*

CAPUT II.

Brevem Evangelii sistit διασκευή.

§. XXXVII.

Evangeliium est nobilissima illa doctrinæ celestis pars, quæ à lege DEI contradistincta homini

mini non est natura nota: Sed ex arcano sinu Patris per Filium DEI prolata, concionem continet, de immensa DEI misericordia, per Filium Redemptorem præstita, quæque gratuitam Peccatorum remissionem, justitiam & vitam æternam in Christum credentibus promittit atq; exhibet.

§. XXXVIII.

USus vocabuli Evangelii non demum cum Johanne Baptista, ad quem usq; omnes Propheta & lex Prophetaverunt, Matth. II. v. 13. Et cum primordiis Novi Testamenti cœpit, quemadmodum Sociniani justificationem Evangelicam ex solo Novo Testamento cognosci posse, & ab illa V. T. planè diversam esse comminiscuntur. Quin potius unum atque idem Evangelium jam inde à primis lapsus humani parentibus, semper in Ecclesia fidelium sonuisse, statuendum est.

§. XXXIX.

IDque inde inductione temporum factâ porro probamus. Nam Prot-Evangelium illud, quo primi Parentes à tristissimo lapsu erecti fuerunt, Genes. 3. v. 15. Testante Spiritu Sancto, Hebr. II. v. 4. §. Patriarchis omnibusque

que usque ad tempora diluvii præluxit. Postmodum Abrahamo, Isaco, Jacobo, idem planè Evangelium de semine Benedicto identidem repetitum & inculcatum fuit, Genes. 12. v. 3. C. 22. v. 18. C. 26. v. 4. C. 28. v. 14. Pari ratione seculum Mosaicum per Typos & umbras Leviticorum sacrificiorum, præfigurabat Evangelium de Christo Agno illo, qui occisus est ab Origine mundi, Apoc. 13. v. 8.

§. XL.

Sic Prophetarum vaticinia tam illustres proponunt Evangelii conciones de Christo, ut non nulli ipsorum fermè rectius Evangelistarum, quàm Prophetarum nomen sortiantur. Hinc concilium Apostolorum rectissimè pronuntiavit, unam planè utrobique & in Veteri, & Novo Testamento esse gratiam, fidem & spem, qua salvamur & nos, & salvati olim fuerunt veteres, Act. 15. v. 11.

§. XLI.

Videtur autem origo hujus vocabuli ex translatione Græca LXX. interpretum tracta. Nam ubi Propheta de gratia & felicitate

felicitate Novi Testamenti vaticinati sunt, ple-
rumque usi sunt Hebræo verbo בשר id est, rem
novam & lætam nunciavit, cernea, i. e. mollia &
suavia annunciavit, à בשר Caro, qui carnem fa-
ciens, i. e. bono nuncio vitam afferens. Ibi LXX.
interpretes illud reddiderunt, εὐαγγελίζεσθαι , uti
patet Es. 40. v. 9. C. 41. v. 27. C. 52. v. 7. C. 61. v.
I. Nahum. I. v. 15. Ps. 68. v. 12. Ita ut Hebraicum
 בשר (notanter doctrinam de incarnatione $\text{τὸ$
 λόγος significat,) & Græcum τὸ εὐαγγέλιον , unum
& idem notent.

§. XLII.

EVangelium in scripturis cum lege
quidem non raro communia sortitur No-
mina, ut $\text{הַדְּבָרִים הַיְהוָה$ De Sion exhibit Lex,
& verbum Domini de Jerusalem. Es. 2. v. 3. Mich.
4. v. 2. Interim hæc Nominum communicatio
non est mutua, sive ἀντιστροφῶς : sed tantum ἀναστροφῶς
siquidem in scripturis Evangelio quidem assigna-
tur sæpius nomen legis, nusquam verò legi tri-
buitur appellatio Evangelii.

§. XLIII.

EVangelium vi vocis, & ex usu scri-
pturæ, semper *latum* & *bonum* notat nun-
cium.

cium. Nec obstat, quod triste etiam nuncium
significare videatur, utpote de strage & tuga
Israëlis, & de obitu filiorum Eli Hophni & Pin-
chasi I. Sam. 4. v. 17. & 2. Sam. I. v. 20. ubi Da-
vid de morte Saulis, & clade Populi inquit: *No-
lite annunciare in Gath, neque Evangelizetis in
compitis Ascalonis*: nam quod ad primum atti-
net, quamvis relatio illa de cæde populi Israëlitici
habuerit aliquid in se tristitiæ; attamen nun-
tium de morte Hophni & Pinchas optimo jure E-
vangelium dici poterit: Lætari enim populus po-
tuit, quod tam impii sacerdotes, qui populum
hactenus oppresserunt omnibus modis, fuerint
sublati. In altero autem exemplo Evangeliza-
tio itidem læti alicujus & fausti facinoris est de-
nunciatio, quamvis non erat Evangelium, sed
triste nuncium respectu Israëlitarum; tamen E-
vangelium erat, & desideratissima relatio, res-
pectu civium in Gath, & inquilinorum in Ascalon.

§. XLIV.

Jucundum autem est solamen, do-
ctrinam Evangelii tam variis Epitetis depin-
gi, sicut Horatius de Amasio: *Do nomen
quodlibet illi*. Justitia Dei (I.) appellatur Evange-
lium

lium Pf. 40. v. 10. quia à justitia operum nos avocatur, ad justitiam fidei, quæ non nostra, sed Christi est, non à nobis, vel in nobis, sed ex & in Christo, qui nobis à Patre justitia factus est, I. Cor. I. v. 30. vocatur (2) Evangelium *הַבְּשׂוּרָה* fides, veritas, firmitas, constantia. Pf. 40. v. II. Quia Promissiones Evangelicæ *ἐν αὐτῷ (χειρῶ) τὸ ναὶ, καὶ ἐν αὐτῷ τὸ αἰὼν, τὸ θεῶν πρὸς δεξιὰς δόξαν διήνωον.* 2. Cor. I. v. 20. *Verbum Domini verax,* & promissiones ejus certæ, Pf. 33. v. 4. Vocatur (3) Evangelium salus, Pf. 40. v. II. vel ab effectu, salutem enim nostram inde haurimus, nimirum è fontibus Salvatoris, Es. 12. v. 3. qui salutem nostram vel maximè promovet, viam salutis unicè monstrat, Joh. 14. v. 6. Vel etiam à potiori, quia agit cum primis de eo, qui animæ nostræ salus est, nec in alio quopiam illa reperitur, Act. 4. v. 12. Salutatur (4) Evangelium *Misericordia Dei* Pf. 40. v. II. ut enim *lex iram operatur*, Rom. 4. v. 15. Et de Dei agit severitate ac justitia, sic Evangelium contra, Dei clementiam, gratiam, misericordiam, & benignitatem depingit, juxta illud: *Lex per Moysen data est, gratia autem & veritas per Christum facta*, Joh. I. v. 17.

Definitionis Exegesis porro prosequenda. *Evangelium nobilissima est doctrina cælestis pars*, quia tantum consistit in promissione, non ad præstandum obligatione, imò, semen Mulieris, & in Novo Testamento *θεῶν θρωπῶν* nobis, annunciat & sistit: *τέξεται (ἡ παρθένη) δὲ υἱόν*, Matth. I. v. 21. non dicitur: *pariet Tibi Filium*, quemadmodum de uxoribus, quæ ex maritis conceperunt, dici in scripturis consuevit, quod viris suis pepererint, sed absolute: *pariet Filium*. Quomodo etiam Spiritus Sanctus Es. 7. v. 14. Et Angelus Luc. I. v. 31. loquuntur, quia scilicet Maria hunc filium non conceperat ex Josephi semine, nec ulli viro, sed soli Deo hunc pariebat, quamvis, si fructum hujus natiuitatis respiciamus, hic Filius & Mariæ, & Josepho & toti mundo rectè dicatur natus, quo sensu Es. 9. v. 6. dicitur. *כי ילד ילד לנו Parvulus natus est nobis* Es. 9. v. 6. Et objectum Evangelii proprium esse Filium, Patribus quidem promissum, tandem autem ex semine Davidis genitum *διαρρήδων* docet D. Paulus, Rom. I. v. 1. 2. 3. Evangelium autem dicitur promissum per prophetas in sacris,

facris, non quoad exclusionem materiae, etiam in V. I. per prophetas traditae, quasi scilicet ab iis promissum sit Evangelium, non traditum; sed ita dicitur respectu praeconi publici; qua ratione Marcus initium praedicationis de Jesu Christo, *initium* dicit *Evangelii* Cap. I. v. I.

§. XLVI.

EVangelium verò non nisi gratiosa DEI revelatione nobis innotescere, testis est & Johannes c. I. v. 18. & Christus Matth. II. v. 25. 26. 27. & Paulus, I. Cor. 2. v. 6. 7. 8. seqq. Ephes. 3. v. 9. Et, cum *opera Trinitatis ad extra sint indivisa*, rectè manifestatio Evangelii toti Sacro Sanctae Trinitati tribuitur, nam Deus Pater per Filium in Spiritu Sancto Evangelium manifestavit.

§. XLVII.

Finis Evangelii hisce definitionis intimatur verbis: *Concionem continet de immensa DEI Misericordia, per Filium Redemptorem praestita, quaeque gratuitam peccatorum remissionem, justitiam & vitam aeternam in Christum credentibus promittit atque exhibet.* Est autem finis Evangelii duplex. Ultimus & Primarius

rius DEI gloria, intermedius & secundarius credentium salus. Novit enim Deus, cujus *πολυτιμία & σοφία* in Evangelio revelatur, Eph. 3. v. 10. remedium humano generi in peccatum & mortem prolapsio invenire. Et ita in Evangelio revelatur *abscondita DEI sapientia* Pf. 51. v. 8. Refulgent praeterea in Evangelio immensa ac ineffabilis DEI misericordia, Eph. 1. v. 7. Luc. 1. v. 78. *Divina justitia*, Rom. 1. v. 17. Hic non qualiscunque intelligitur justitia, sed Evangelica, quia dicitur revelari in Evangelio, non in libris Evangelicis: sed in Evangelio contradistinctè ad legem; quia est justitia DEI illa, quae coram Deo valet, Rom. 3. v. 25. scilicet, non legalis, sed quae est ex fide in fidem, h. e. quae tota, ratione initii & finis, consistit in fide, qua Deus justificat impium. Revelatur insuper in Evangelio divina virtus ac potentia I. Cor. 1. v. 24. Es. 53. v. 1. Denique veritas DEI, *nam Christus fuit circumcisionis minister propter veritatem DEI, ad confirmandas promissiones Patrum*, Rom. 15. v. 8. Haec omnia attributa divina in Evangelio revelantur *in laudem gloriae DEI*, Eph. 1. v. 6. & 12.

§. XLVIII.

Intermedius & secundarius Evangelii

gelli finis est salus nostra, quia non ex lege, sed ex Evangelio petendum est prædestinationis decretum. Ratio pendet ex utriusque doctrinæ definitione. *Lex enim est doctrina operum, Evangelium verò doctrina fidei, jam non ex operibus, sed ex fide, & in fide facta est electio.* Evangelium est revelatio mysterii de salute nostra æternitatem. *poribus taciti, Rom. 16. v. 25.* Ergo in Evangelio quærendum electionis mysterium. *Extra Christum non est de prædestinatione cogitandum.* Ratio pendet tum ex canone priore, Christus enim est Evangelii nucleus: tum ex prædestinationis natura, quippe quæ facta est in Christo, Eph. I. v. 4. Christus est imago Patris, non solum ratione essentia, sed etiam respectu voluntatis, Joh. 14. v. 6. in Christo igitur pendente in cruce, & pro peccatis nostris satis faciente, vivis literis descripta est nostra prædestinatio. Jam autem cum ad salutem nostram, per legem non possemus aspirare, misertus nostri Deus, arcanum *consilium salutis*, in Evangelio nobis revelavit, Act. 20. v. 27. Quod per Christum *contingat nobis remissio peccatorum, & ab omnibus, quibus non poteramus in lege Mosis justificari, Act. 13. v. 38. in hunc (Mediatorem Christum) qui credit justificatur v. 39.*

cujus fidei finis est salus animarum. I. Petr. I. v. 9.

§. XLIX.

FRUCTUS proinde, quos Evangelium offert, & credentibus affert, opimi oppidò sunt, & multiplices. Revelat enim nobis consilium DEI de salute nostra, Matth. II. v. 25. 26. unde vocatur *Revelatio Mysterii*, Rom. 16. v. 25. Excitat fidem, eamque confirmat, Rom. 10. v. 17. unde vocatur *verbum fidei*. I. Tim. 4. v. 6. affert gratiam DEI, & reconciliationem cum DEO, Joh. I. v. 17. unde vocatur *verbum gratia*, Luc. 4. v. 22. affert *Regenerationem*, Jacob. I. v. 18. unde *bonum semen* salutatur, Matth. 13. v. 37. affert *Remissionem peccatorum*, Luc. I. v. 77. unde vocatur *bonum DEI verbum*, Hebr. 6. v. 5. adfert justitiam in DEI Judicio consistentem, Rom. 4. v. 5. affert impletionem legis Mosaicæ, Rom. 10. v. 4. & consortium divinæ naturæ, I. Petr. I. v. 4. *ὑιοθεσίαν*, Joh. I. v. 12. sanationem à morbis spiritualibus, Matth. 9. v. 12. unde vocatur *sermo sanus*, Tit. 2. v. 8. adfert *spiritualem vitam*, Joh. 15. v. 5. unde vocatur *verbum vita*, Phil. 2. v. 16. adfert gaudium, & pacem conscientia, Act. 13. v. 38. unde vocatur *Evangelium pacis*, Ephes. 6. v. 15. adfert

consolationem in omnibus tentationibus, & persecutionibus, 2. Theff. 2. v. 16. Et Liberationem à jure peccati, & mortis, à maledicto legis, Rom. 8. v. 2. adfert donationem Spiritus Sancti, Gal. 3. v. 2. unde vocatur ministerium Spiritus, 2. Cor. 3. v. 8. fiduciam adfert in invocatione, Gal. 4. v. 6.

§. L.

INterim efficacia hujus doctrinæ pendet ab operatione Spiritus Sancti, qui, per verbum Evangelii, in cordibus hominum efficax est; Quemadmodum enim manna decidebat cum rore, Exod. 16. Ita cum manna doctrinæ Evangelicæ conjunctus est ros divinæ gratiæ, & Spiritus Efficaciæ, Es. 55. v. 10. inde est, quod Evangelium tanquam causa organica, potentia DEI ad salutem omni credenti, Rom. 1. v. 16. dicatur. Verbum crucis, hoc est, Evangelium de Christo Crucifixo illis, qui salvi fiunt, est DEI virtus. 1. Cor. 1. v. 18. Eodem sensu vocatur. Virga potentie divinæ, Ps. 110. v. 2. Siquidem est vivum & efficax divinæ potentie instrumentum, per quod regnum gratiæ in cordibus credentium Christus administrat.

§. LI.

DE Nova autem obedientia DEO grata, tenendum, quid propriè Lex, quidque propriè Evangelium circa novam obedientiam agat. Lex igitur inculcat quidem, esse voluntatem & mandatum DEI, ut in Nova vita ambulemus: at vires & facultatem non donat, quibus obedientiam vel inchoare, vel præstare possumus. Spiritus autem Sanctus, qui non per legis, sed Evangelii prædicationem datur & accipitur, cor hominis renovat. Deinde idem Spiritus Sanctus ministerio legis utitur, ut per eam renatos doceat, atque in Decalogo ipsis monstret, quæ sit voluntas DEI bona, & ipsi placens: ut noverint, quibus bonis operibus studere debeant. Sic Spiritus Sanctus videns renatos propter veterem Adamum & carnem remissiores ac negligentiores esse, vel etiam rebelles esse, per legem eos arguit, hortatur, excitat. Quo pacto Spiritus Sanctus, duo diversa officia in iisdem renatis exequitur: mortificat, & vivificat: deducit ad inferos, & reducit: 1. Sam. 2. v. 6. arguit de peccatis admissis & consolatur: Illud ex lege: hoc, ex Evangelio. Semper enim Spiritus Sanctus (ordinariam

riam rationem si spectes) mediatè agit per ministerium verbi. Et hinc concludimus, doctrinam justificationis coram DEO, discendam & petendam esse non ex lege, sed Evangelio, quod multa scripturæ testimonia disertè affirmant, Rom. 1. v. 16. 17. C. 3. v. 21. C. 4. v. 13. C. 10. v. 4. Gal. 3. v. 21. 22. Joh. 1. v. 17.

§. LII.

Consilia autem Evangelica, præceptis legalibus superaddita, ut per illa expeditus homo salutem consequi possit, nulla prorsus agnoscimus, adeoque Christum Novum legislatorem esse rectè negamus, quia DEUS ipse additionem ad legem Mosaicam, & detractionem prohibuit, Deut. 4. v. 2. Et quas Christus de novo tulisse videtur leges, in Decalogo continentur. Nam Christus nusquam in Novo Testamento fert novam legem, sed legem Mosaicam à corruptelis Phariseorum vindicat & purgat. Aliàs Christus legislator dici potest vel activè, vel passivè. Activè quatenus ut DEUS cum Patre & Spiritu Sancto legem in Monte Sinaico promulgavit, & cordibus hominum, in prima creatione inscripsit. Passivè, quatenus legis & ma-

ledictio-

ledictionem, & condemnationem tulit. Gal. 4. vers. 4.

§. LIII.

Sicuti autem Christus, quem Evangelium nobis proponit, non est Novus legislator; Ita nec Evangelium proprio, presso & stricto significato sic acceptum, est concio penitentiae arguens peccata, sed propriè nihil aliud est, quàm concio plena consolationis, & firmatur hæc assertio è doctrina Evangelii, à primo lapsus tempore proposita. Nam Prot-Evangelium de semine mulieris contrituro caput Serpentis, Gen. 3. v. 15. Et Promissiones tum de semine, in quo benedicendæ essent gentes terræ, Gen. 12. v. 3. C. 15. v. 18. tum de filio Davidis, qui regnum Davidis restaurare, & æternum continuare debeat, Luc. 1. v. 32. Et prædictiones de Messia vulnerando propter iniquitates nostras, Es. 53. v. 5. Verè sunt Evangelium, diversissimum à concione penitentiae, terrente & affligente. Idem evincunt honoraria illa Epitheta, Evangelio tributa: Qualia sunt, Evangelium pacis Es. 52. v. 7. Ephes. 2. v. 17. Evangelium gaudii, Luc. 2. v. 10. Evangelium Salutis, Rom. 1. v. 16. I. Cor. 15.

F

v. 2. Et

v.2. Et quæ ejusdem sunt census alia. Nisi admittatur hæc assertio, periculosissimè confundentur distinctissimæ doctrinæ, videlicet lex & Evangelium.

CAPUT. III.

Brevem Discriminis inter legem & Evangelium Διακρισις listet.

§. LIV.

CUM Evangelium sine lege cognosci nequeat, quoniam quod lex imperat, Evangelium impetrat. Unde lex & Evangelium in Ecclesia orthodoxa junguntur & distinguuntur: junguntur in Praxi, distinguuntur in Theoria. Hoc autem discrimen inter legem & Evangelium est adprimè necessarium, uti monuit olim B. Lutherus in C. 2. Gal. Tom. Lat. fol. m. 39. sic commentatus: *Qui bene novit discernere legem ab Evangelio, is gratias agat DEO, & sciat se esse Theologum. Ego certè in tentatione nondum novi, ut debebam. Tam diligenter distinguas justitiam Evangelii à justitia legis, quam diligenter distinguas cælum à terra, lucem à tenebris, diem à nocte atq; utinam adhuc longius eas distinguere possimus!*

§. 55.

§. LV.

NEque tamen statuimus hostilem quandam contrarietatem, ac capitalem pugnam his doctrinis intercedere, quam tamen Calviniani Neostadienses confessioni nostrarum Ecclesiarum affricare conantur, quin potius cum Apostolo dicimus: *Num legem destrui-mus per fidem? absit, sed legem stabilimus, Rom. 3. v. 31. Num lex est adversus promissa DEI? ab-sit. Gal. 3. v. 21.* Ergo non adversa, sed diversa, non contradictoriè opposita, sed subordinata sunt hæc duo doctrinarum genera, cum in mu-tuo usu non solum amicè conspirent, sed etiam in quibusdam capitibus conveniant; siquidem intercedit eis 1. Communio generis, utrumque tam lex quàm Evangelium est cœlestis doctrina. 2. Communio causæ efficientis, unus & idem au-ctor est legis ac Evangelii, proinde si lex & Evan-gelium sibi invicem contrarientur, DEUS ipse sibi foret contrarius, cum in utroque doctrinæ gene-re voluntas DEI manifestetur. 3. Communio finis ultimi, utraq; enim doctrina tam Legis, quam Ev-angelii est doctrina salutis, quamvis adveniat hac in parte legi tribuat Apostolus Rom. 8. v. 3. Illud tamen

F2

tamen

tamen ex accidenti contingit, ratione scilicet carnis nostræ, quæ peccati labe infecta ac debilitata conditioni perfectæ impletionis, quæ legi addita est, impotens facta; Illud proinde tanquam accidentarium Legis Naturæ nihil derogat legi, quæ per se est *sancta & bona*, imò *verbum vitæ*, Rom. 7. v. 12. Actor. 7. v. 38.

§. LVI.

Licet igitur lex & Evangelium in adsignatis hisce capitibus convenient, & in Praxi vel omni puncto Mathematico arctius conjungi debeant, attamen in Theoria distincta sunt, & distinctè tradi debent. Discriminis autem inter legem & Evangelium capita non eodem ordine ac numero recensentur. Cyrillus in Caput I. Joh. decem statuit diastemata, alii pauciora, alii plura. Nos autem primarium Legis & Evangelii discrimen à notitiæ qualitate desumi statuimus. Nam lex naturâ est nota, quatenus aliqua ejus cognitio à DEO mentibus hominum est insita atq; in sculpta, Rom. 2. v. 14. 15. Gentiles nimirum naturæ lumine edocti, in externis & naturalibus actionibus aliquatenus noverunt regere locomotivam. Evangelium verò

univer-

universæ hominum naturæ extra revelationem divinam, ne minima quidem ex parte, vel explicitè, vel implicitè notum est: usque adeo, ut Apostolus revelatione illud opus habuisse asserat, Rom. I. v. 17. & porrò, *Mysterium æternis temporibus tacitum, imò absconditum in DEO jam inde à seculis*, Rom. 16. v. 25. Ephes. 3. v. 9. Col. I. v. 26.

§. LVII.

Secundò specie differunt lex & Evangelium. Nam quod propriè Legis est, pertinet ad formam specificam Veteris, quod Evangelii, ad formam specificam Novi Testamenti. Quod propriè legis est, pertinet ad formam Veteris Testamenti, non sumpto hoc vocabulo in significatione temporis; nam & in Veteri Testamento erat Evangelium, si de tempore loquamur; sed in significatione pacti, cui Evangelium adæquatè est oppositum. Quæ autem sunt opposita, fides scilicet & opera, oppositas habent formas; *Testamentum illud, in quo non manserunt Israelita*, Hebr. 8. v. 9. fuit testimonium in egressu Egypti stabilitum, adeoq; legale, consistens in præstandis, *lex enim non est ex fide*:
F3 *sed*

Sed qui fecerit ea homo, vivet in ipsis. Gal. 3. v. 12. Novum Testamentum Hebr. 8. v. 10. describitur non per exactiōem præstandorum, sed collationem gratiæ. Sic in dicto Prophetico Jer. 31. v. 31. & jam citato Apostolico, opponuntur sibi integri ordines, seu viæ ad justificationem & vitam æternam, ita ut Vetus Testamentum habeat legalem, Novum Testamentum Evangelicum. Et meritò sibi integri ordines opponuntur. Licet enim Ordo Evangelicus etiam habeat legem moralem, ut ordo legalis: non tamen idem utrobique finis est, eademque ratio; Cum sub Novo Testamento non sit lex moralis observanda, ut justificet, sed ut doceat novam obedientiam, ut fructum fidei, & grati animi documentum. Sed nec alienum est ab Apostolo, ut νόμον, legem doctrinam salutis intelligat, cum Rom. 3. v. 27. ausus sit dicere νόμον τῆς πίστεως, *legem fidei*, id est, Evangelium, quod requirit fidem, & excludit opera sub conditione Pacti.

§. LVIII.

Tertio operatione & effectu differunt lex & Evangelium: Utraq; equidem doctrina legis & Evangelii versatur circa pecca-

peccatum. Lex ostendit, accusat, imputat, damnat peccatum, *nam lex iram operatur*, Rom. 4. v. 15. Quippe legi obligati, ex transgressione legis non nisi iram DEI perferunt. Evangelium verò remittit, tegit, non imputat peccatum, quia ostendit agnum tollentem peccata mundi. Joh. 1. v. 29. & sensu peccati terribis vivifica consolatione erigit, *Dominus*, inquit *Messias, misit me ad prædicandam captivis liberationem*, Es. 61. v. 1. Nam Dominus qui dedit legem deprimentem, dabit & gratiam sublevantem. Lex indicat morbum, Evangelium verò eundem sanat; in lege revelatur ira DEI super omnem hominem, in Evangelio verò sine lege revelatur *justitia DEI ex fide in fidem*, Rom. 1. v. 17. Distinguitur itaque à lege doctrina Evangelii, ratione materiæ: quia lex proponit faciendam, seu doctrinam morum: Evangelium credendam, seu doctrinam Fidei: tum etiam ratione formæ: Quia lex est doctrina de bonis operibus, & præceptis absolvitur, tum quæ fugienda, tum quæ facienda: Evangelium verò est doctrina de Articulis doctrinæ fidei, quia lex non facit directè aut immediatè ad fidem: Evangelium verò *est potentia DEI ad salutem omni credenti*. Rom. 1. v. 16.

§. LIX.

Quartum discrimen inter legem & Evangelium monstrat objectorum diversitas. Lex proponenda est impiis, securis & contumacibus peccatoribus, pertinet enim ad veterem hominem, *justo non est lex posita*, ut premat ipsum instar alicujus oneris, quod Græcum Verbum *νεῖαι* significat, *sed injustis & aliis enormibus peccatoribus enumeratis* I. Tim. I. v. 9. 10. Evangelium verò contritis cordibus, & conscientiis sensu peccati territis annunciandum, *Pauperibus predicatur Evangelium*, Matth. II. v. 3. *Spiritus Domini super me, eò quod unxit me, Evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, ad predicandum captivis remissionem, & quæ sequuntur*, Es. 61. v. 1, Luc. 4. v. 18. 19.

§. LX.

Quintò differunt objecto rerum: Lex enim urget justitiam operum secundum illud Apostoli Rom. 10. v. 5. *Moses enim scribit de justitia, quæ est ex Lege: Quod qui fecerit ea homo, vivet per illa.* Evangelium verò urget justitiam fidei, resultantem ex gratuita remissione propter meritum Christi fide apprehensum.

hensum. De qua Apostolus Rom. 4. v. 5. *Non operanti, credenti autem in eum, qui justificat impium, imputatur fides ad justitiam.* Quantum ergo à se distant meritorium & gratuitum, tantum quoque invicem differunt lex & Evangelium, neque hoc respectu unquam coalescere possunt. Quemadmodum Apostolus egregiè id explicat, Rom. II. v. 6. *Si, inquit, per gratiam justitia obtingit, non jam ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia: Sin ex operibus, jam non est ex gratia: alioquin opus jam non est opus.* Observandum autem contra Pontificios, nominationem contra Pererium, quod justitia operum sive legis, & justitia ex lege nihil differant: utrobique enim justitia quæritur ex operibus legis: quod quivis sanæ mentis fatebitur. Utrobique etiam eadem est conditio: *qui fecerit ea vivet in eis.* Et Paulus justitiam legis, & justitiam operum, seu, quod idem est, justitiam legis, & justitiam ex lege pro æquipollentibus habet, Rom. 9. v. 31. v. 32 Deinde justitiam operum gratiam includere, justitiam ex lege eandem excludere *ἀλλ' οὐ γὰρ ἔσται* statuunt Pontificii. Opponuntur igitur lex & Evangelium, opera & fides, meritum & gratia in justificationis nostræ negotio. His i-

ta stantibus, sequitur: quicquid de justitia ex lege prædicatur, idem de justitia legis seu operum prædicandum esse. Atqui de justitia ex lege fatetur Pererius, quod sit opposita justitiæ fidei: Ergo idem de justitia operum fateatur necesse est.

§. LXI.

DEnique Sextò differunt lex & Evangelium Promissionum formâ: Lex enim habet promissiones ratione nostri purè meritorias, & ex debito compensatorias: Nam is demum vitam æternam ex lege consequitur, qui fecerit omnia, quæ scripta sunt in ea, Lev. 18. v. 5. Deut. 30. v. 15. & seqq. Evangelium verò habet promissiones respectu nostri merè gratuitas, & purè donativas. Gratiâ, inquit Apostolus, estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis: DEi enim donatio sive δῶρον est. Eph. 2. v. 8. Et ideo ex fide, ut Secundum gratiam firma sit promissio omni semini, Rom. 4. v. 16. Hæc autem gratia, quæ in Evangelio nobis offertur, nihil aliud est, quam satisfactio legi debita. Christus enim, de quo Evangelium Concionatur, ideo legi est subditus, Gal. 4. 4. ut justitia legis impleatur in nobis, sed non à nobis, Rom. 8. v. 4. ita,

ut

ut justitia legis diversa simul sit, atque eadem. Diversa quidem in nobis, & respectu nostri: Nam non ex lege nobis est, Phil. 3. v. 9. hoc est, nostra observatione legis non est acquisita. Eadem tamen rursus est in Christo, & respectu Christi, qui legi consummatam præstitit obedientiam. Hinc cum orthodoxis Theologis rectè concludimus, Legem & Evangelium, in cujusque Christiani corde debere esse conjunctissima. Vid. comment. B. Luth. ad Cap. 3. Epistolæ ad Gal. jam, hoc ad DEum fuso voto: Det nobis Dominus intellectum in omnibus! Subsistimus.

προσπαραβλήματα.

- I. Non dantur Consilia Evangelica propter perfectionem Legis.
- II. Consiliorum doctrina pugnat cum multis christiana doctrina locis.
- III. Nam Rationes consilii etsi non sint formaliter & absolute præcepta, sunt tamen præcepta pro ratione certi alicujus status & temporis.
- IV. Si, quod viri Magni & Prudentes svadent vel consulunt, præcipere videntur, cur non, quæ DEUS Sapientissimus & Potentissimus consuluit, vim habeant præcepti?

V. Consilia dantur non natura integra, sed corrupta, suntque media, ut hoc vel illud opus DEi commodius & constantius impleamus; at eo ipso, quo talia sunt, ad præcepta, quæ opera mandant, referuntur.

VI. Falsum est, antiquos DEi sub lege cultores mihiora habuisse præcepta, quam novos sub Evangelio, aliquidque præceptis illis à Christo additum.

VII. Discrimen mandatorum Evangelicorum & legalium singulari diligentia in Ecclesia retinendum.

VIII. Evangelium propriè & strictè sic dictum non est concio pœnitentiæ, sed concio consolationis plena.

IX. Si vero vox pœnitentiæ partialiter accepta pro contritione consideratur, ad solam legem pertinet, si verò partialiter pro fide ad Evangelium spectat.

X. Justificatio est quidem pœnitentiæ effectus immediatus, non tamen ratione contritionis, sed respectu fidei, contritio enim non justificat, sed fides, juxta illud: Qui credit in illum, qui justificat impium, imputatur fides ejus ad justitiam. Rom. 4. v. 5. Effectus enim

immediatus & primarius est fide apprehendere Christum. Effectus verò mediatus est unio nostri cum Christo, quem per fidem induimus, Gal. 3. v. 27. quique per fidem habitat in cordibus nostris, Ephes. 3. v. 17. cui nobiscum unito ita agglutinamur I. Cor. 6. v. 17 ut simus membra corporis ejus, ex carne ejus, & ex ossibus ejus, quod Mysterium magnum est inter Christum & Ecclesiam, Ephes. 5. v. 30. v. 32.

Christus vocatus adsit !!!

Ad
VIRUM

Maxime Reverendum & Amplissimum
Dn. Mag. OLAUM MOBERGIUM,
in Regia Pernaviensi Academia S. Theol. Prof.
Prim. etc. Dominum, amicum atque in
Christo fratrem sincero amore jugiter
persequendum,

pro obtinendis in ^{quam}Theologia Honoribus,
de

Lege Morali, Evangelio, & u-
triusque Discrimine

solemniter disputaret,
Votum Amici.

Quid LEX, quidque EVANGELIUM, quis
sensus & ardor
Illius atq; hujus sit, pia mens dubitat?

Sed Tua pervolvat, MOBERGI, hæc carmine digna
Scripta atq; inveniet, quod satiabit eam.

Perge igitur calamo sic pandere dogmata plura,
Non secus ac svesti mellifluo ore Tuo:

Et viridi cinget lauro Tua tempora Clio
Sancta, Tibi laudes perpetuasq; canet.

Vive diu felix, voveo, Patriæque DEoque:

Vive juventuti, Macte, DEique gregi:

Vive quod ad spissi condant caput undique cani,
Plurimaque in faciem ruga senilis eat!

Quod l. m. q. apposuit
Laurentius Molin,
S. Theol. Licent. & Prof. ord.

Ad solidæ hujus Disputationis Auctorem
Admodum Reverendum & Amplissimum
S. S. Theologiae Professorem primum,
Dn. OLAVUM MOBERGH,

Ex

I. Tim. III. v. 2. 3. 4.

Qui tractat summi divina Oracla tonantis,
A labe & vitiis hunc decet esse procul.
Fœdera servabit lecti castæque maritæ,
Optima conantem non sinit esse pigrum.
Pervigilat noctes in sacris sobrius omnes,
Moribus ornatus cum pietate probis.
Hospitibus præbet facilis sua dona laresque;
Dat, docet, atque facit, quod DEus ipse jubet.
Hic fugit, ut pestem, Cyathos siccare capaces,
Turpibus & rixis non solet esse terox.
Non auri hunc nitidi male sana cupido,
Et solet in cunctis verba modesta loqui.
Horret & ex amino meditari jurgia linguæ,
Non nummos magni, Numinis instar, habet.
Imperiique domus facilis moderatur habenas,
Natos informat moribus atque bonis.
Hocce tibi cynosura fuit, Reverende Professor,
Quando doces alios, quod probus ipse facis.
Hactenus ore tuo divini dogmata verbi
Hauserunt templa, & publica rostra benè:

In

In his se geminis Zelus tuus exserit alis,
Tradis ubi magnum cœlipotentis opus.
Illud divinas in laudes proderit orbi,
Exemplumque DEi grande timoris erit.
Heic etiam pietas in te bene computat annos,
Heic vera adparet non sine nube fides.
Impostor merito dicetur, numinis expers,
Qui non pastoris munia rite gerit.
Qui faciunt aliud, quam dicunt ore sacro,
Sunt impostores nomine reque simul.
Nulla quibus pietas est, nec respectus honesti,
Christiadum pascent quâ ratione gregem.
Hæc quoniam nosti cautus, prudensque piusq;
Gratulor ex animo, quod licet hocce modo:
Vive DEO, Regi, sociis, studiisque, gregique,
Ne queat à monitis degenerare tuis!
Hactenus ut fueras lumen vita ipse coruscum,
Sic mancas semper Dux bonus usque gregi!

*Quod animo quam verbis prolixior suo
fautori & amico sincere dilecto q̄-
rere non intermittet*

Gabriel Sieberg!

